



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XLIV. De Adjuratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

paritate, ipsimet Reo. Pellegrin. d. num. 37. sed non debet deferri, nisi saltem dato fumo de illius veritate. Ridolphin. in Praxi par. 1. cap. 10. num. 121. cum seqq.

12. *Quer.* In quibus casibus dari possit hoc juramentum? *Resp.* In omnibus casibus civilibus, & pecuniariis, sive in rem, sive in Personam agatur. lib. 3. §. Quocunque. ff. de Jurejur. Imò secundum modernos etiam in Criminalibus, sine tamen præjudicio Judicis, qui potest causam prosequi ad vindictam publicam, etsi accusator recedat ob juramentum à Reo præstitum; & exceptis causis, in quibus non licet transigere, e. gr. Adulterii, Matrimonii, & Criminalium, pro quibus venit imponenda poena sanguinis. Nicol. dict. lib. 4. tit. 6. num. 148.

13. *Quer.* Quid sit Juramentum suppletorium? *Resp.* Illud esse, quòd Actor petit à Judice in supplementum suarum probationum, quas ob aliquod impedimentum non potest plenè facere, & concludenter terminare. cap. fin. extra de Jurejur. Nicol. dict. lib. 3. tit. 6. num. 151. Pellegrin. d. par. 2. sect. 2. subsect. 11. num. 37. & Ridolphin. in Praxi par. 2. cap. 4.

14. *Quer.* Quot conditiones sint à Judice observandæ, in hoc juramento litis suppletorio deferendo? *Resp.* Quinque. Prima, Quòd causa nec sit Criminalis, nec Matrimonialis; quia in his suppletorium juramentum regulariter non datur; præsertim si agatur contra fœdus Matrimonii. Ferret. conf. 363. num. 1. & 2. Mascard. conclus. 1022. num. 9. Dixi regulariter, quia aliquando potest Judex illud deferre; tunc scilicet, quando fuit plusquam plenè probatum. Genyent. in Praxi cap. 27. num. 2. Piassec. part. 2. cap. 4. sub num. 36. Sperell. qui sic practicasse testatur in causa Matrimoniali, facta prius seria, ac gravi monitione de juramine importantia. Decis. 75. num. 58. & 59. Secunda, Quòd persona, quæ jurare debet, sit integra, & omni exceptione major. Gramat. decis. 81. num. 53. Sperell. dict. decis. 75. num. 59. Tertia, Quòd non agatur de magna quantitate rei, vel valoris, quod pendet ab arbitrio Judicis attenta conditione personarum, de quarum interesse agitur; Nicol. d. lib. 4. tit. 6. sub num. 152. Menoch. de Arbitr. Judic. casu 190. num. 17. Quamvis, ubi esset plusquam semiplenè probatum, posset concedi. DD. quos allegat Sperell. decis. 28. num. 70. Quarta, Quòd juraturus possit esse bene informatus de facto, super quo lis extat; nam hæredi super factis defuncti non esset deferendum. Nicol. dict. num. 152. vers. 5. Et Quinta, Quòd deducta in litem sint saltem semiplenè probata, vel per unum testem omni exceptione majorem, vel per indicia illi æquipollentia. Nicol. dict. num. 152. Ridolphin. dict. par. 2. cap. 4. à num. 157. & seqq. ubi ponit quadraginta casus, in quibus non deferretur tale juramentum. Mascard. conclus. 955. num. 3. At resistit huic quintæ conditioni Gabriel conf. 40. vol. 2. ubi probat, non esse satis semiplenam probationem ad deferendum hoc juramentum; sed requiri, ut aliquid magis sit probatum, quod tenuit in

practica Anton. de Possentibus Singular. 1. & Singular. 2. quia supplementum non debet esse ejusdem ponderis, ac probatio principalis. Idè plusquam semiplenè probatum esse debet. Sperell. d. decis. 28. num. 69. & 70.

15. *Quer.* Quinam sit effectus juramenti tum suppletorii, tum decisivi? *Resp.* Quod pariat actionem, & exceptionem litis finitæ; & habeat vim sententiæ diffinitivæ, & executionem paratam. Nicol. dict. lib. 4. tit. 6. num. 153. ubi plures alias non inutiles quaestiones de juramento Judiciali facit; & lastissime Pax Jordanus tom. 3. lib. 14. tit. 22. de Jurejur. ubi tractat materiam omnium juramentorum tam extra, quam in Judicio; & novissimè P. Georgius Gobat, Soc. Jesu in suo Alphabeto Quadruplici part. 2. De Juramento à num. 448. usque ad 693, impresso Constantiæ Anno Domini 1672. continente Opuscula quatuor, videlicet de Voto, de Juramento, de Superstitione, & de Blasphemia.

CAPUT XLIV.

De Adjuratione.

1. *Quer.* Quid sit Adjuratio? *Resp.* Est imprecatio, jussiove, qua quis aliquid petit vel in obsequium Dei, aut Sanctorum, aut excellentis alicujus creaturæ. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 8. §. 1.

2. *Quer.* Ad quam virtutem spectat Adjuratio? *Resp.* Si ea exhibeatur per Deum, vel per ea, quæ ad Deum pertinent, est actus Religionis latræ. Si per Deiparam, Hyperdulæ. Si per Sanctos, Dulæ. Si per Homines, Politicæ humanæ. Tambur. d. §. 1. num. 2.

3. *Quer.* An Adjuratio inducat obligationem? *Resp.* Negativè: quia habet vim movendi animum personæ adjuratæ ex reverentia debita ei, in cujus nomine adjurat; sed non habet vim obligandi. Tambur. ibid. num. 3.

4. *Quer.* Quæ sint servandæ conditiones in adjuratione? *Resp.* Illæ tres, quæ etiam in juramento requiruntur, videlicet Veritas, Justitia, & Judicium. Tambur. ubi supra §. 1. num. 4.

5. *Quer.* Quomodo intelligatur Veritas in adjuratione? *Resp.* Primò, ut hæc non fiat per falsos Deos, Dæmonemvè, aut Luciferum, quia esset mortale peccatum. Secundò, ut quis adjurando non dicat mendacia, veluti si dives adjuraret homines, ut sibi tanquam pauperi eleemosynam darent. Tambur. dict. §. 1. num. 4.

6. *Quer.* An mendici pecunias habentes, peccent mortaliter, adjurantes per Deum, per Deiparam &c. ut sibi tanquam pauperibus gentes dent eleemosynam? *Resp.* Asserit Catropal. tom. 3. tractat. 14. disp. 4. de Adjurat. punct. 1. num. 5. quia assument nomen Dei ad iniquitatem patranda. Negat Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 42. num. 5. tenens, tantum venialiter peccare, quia etsi committant irreverentiam in suis adjurationibus, tamen sunt ad finem boni operis in adjurato, nempe ad eleemosynam faciendam, quod placet. Tambur. d. §. 1. n. 4.

7. *Quer.*

Erot. Eccl. Cap. XLV. De Adjuratione Dæmonum. 75

7. *Quer.* Quid importet Justitia in Adjuratione? *Resp.* Quod quis ea non intendat obtinere rem injustam, & peccaminosam. Quare qui adjuraret per Deum, aut Sanctos ad rem mortalem agendam, peccaret mortaliter peccato contra Religionem, præter peccatum rei illius; si vero ad rem venialem, venialiter peccaret. Quod si adjuratio fieret per creaturas non adderetur nova species peccati. Tamburin. *dict. lib. 3. cap. 8. §. 1. num. 5.*

8. *Quer.* Quid conditio Judicii importet? *Resp.* Quod non indiscretè, & absque necessitate fiat adjuratio, aliàs regulariter est culpa venialis; nisi gravis committeretur irreverentia in Deum; vel nimia molestia, aut injuria in homines; tunc enim posset esse culpa mortalis. Tambur. *d. §. 1. num. 6. & ibi Suarez.*

CAPUT XLV.

De Adjuratione Dæmonum.

1. *Quer.* Quæ sint signa cognoscendi, an aliquis sit obsessus à Dæmone? *Resp.* Si ipse loquatur diverso, ignotoque idiomate; si canat, legat, scribat, aliaque faciat, quæ antea nulla ratione callebat; si ita stet immotus, ut à robustissimis non possit dimoveri; si patefaciat occulta, seu distantia. Delrius *Disquisit. Magic. lib. 2. cap. 2. q. 3. sect. 2.* Schottus in *Physica Curiosa lib. 4. cap. 9. §. 1.* Alia autem signa, ut dissonæ voces, sævi dolores, motus corporis insoliti, & similia sunt valde incerta. Tambur. *d. lib. 3. cap. 8. §. 2. num. 1.*

2. *Quer.* Quo modo, & quo fine sit facienda Adjuratio in Dæmones? *Resp.* Imperativè, non autem deprecativè; & ad hoc, ut exeat de corpore, vel de loco, & desistat à nocendo. Tambur. *dict. §. 2. num. 2. & ibi Sanchez, & Suarez advertentes, esse peccatum mortale, habere longas, curiosasque confabulationes, & interrogationes inutiles cum Dæmone in adjurando.*

3. *Quer.* Quæ licitè peti possint à Dæmone? *Resp.* Ea omnia, quæ conducunt ad ejus exitum de corpore obsessi. Quæ autem valeant ad servitutem, & obsequium adjurantis, non sunt petenda, quia indicarent familiaritatem cum communi hoste. Quæ verò sunt inutilia, seu curiosa, si petantur, secundum Castropalaum, causant culpam mortalem; at secundum Sanchez venialem, quos citat Tamburin. *dict. cap. 8. §. 2. num. 8. 9. & 10.*

4. *Quer.* An extantibus pluribus Dæmonibus, in obsessio, possit Exorcista petere, ut Spiritus Superior pellat inferiores? *Resp.* Affirmativè. Sylvest. *Verb. Adjuratio quest. 5.* quia non est petere servitium à Dæmone, sed ei præcipere in virtute Christi, ut alios expellat. Tambur. *dict. §. 2. num. 11. & 12.*

5. *Quer.* An Exorcista possit exaudire Dæmonem petentem, ne amandetur illum in infernum, sed in desertum locum? *Resp.* Affirmativè, sub spe divinæ ratificationis, cum Deus permittat magnam partem Dæmo-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

num extra Inferni carcerem vagari usque ad diem Judicii; post quem diem concludentur postea omnes in barathro. Castropal. apud Tambur. *d. §. 2. num. 15.*

6. *Quer.* An sit exaudiendus Dæmon, petens se immitti, e. g. in equum Petri? *Resp.* Esse hinc inde Doctorum opiniones; quia, etsi Dominus eum immiserit in porcos, erat ipse Dominus omnium. Cæterum affirmant DD. quando non sit grave damnum resultaturum proximo, quia quilibet tenetur pati aliquod detrimentum pro sublevando Dæmoniaci ab illo penosissima obfessione. Castropal. Tancred. & alii apud Tamburin. *d. §. 2. num. 16. 17.*

7. *Quer.* Quid, si Diabolus petat licentiam arripiendi alium hominem? *Resp.* Non esse hanc licentiam concedendam, quia nemo est dominus vitæ proximi. Delrius *lib. 16. Disquisit. Magic. cap. 3.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 42. num. 36.* Tambur. *ubi supra num. 18.* ubi advertit, aliquos docere contrarium, concurrentibus quinque conditionibus, sed ipse talem opinionem reprobat. Neque revelat, quod S. Paulus tradiderit Satanæ virum incestuosum, quia fuit specialis dispensatio ex Dei inspiratione, quæ non facit exemplum.

8. *Quer.* An Exorcistæ teneantur adjurare Dæmones in corporibus obsessis existentes? *Resp.* Affirmativè, ex debito Justitiæ, si ipse curam habeat Animarum, & speret, se obsessio profuturum. Aliàs ex charitate tantum tenetur, si sit peritus, & habilis ad adjurandum.

9. *Quer.* An peccet laicus, qui munus, adjurandi Dæmones, & energumenos aggredditur? *Resp.* Affirmat Tancredi apud Tamburin. *dict. §. 2. num. 24.* & quidem mortaliter. At ipse Tambur. negat, tum quia laici inserviunt Missæ, & alias functiones minorum ordinum passim exercent; tum quia omnes Christiani terribiles sunt Dæmonibus ob characterem baptismi; idè ex his & pluribus aliis rationibus ait, probabilem opinionem esse, quod laicus Vir doctus semel, ac iterum, non autem ex professo, possit Dæmoniacum exorcizare. Tamburin. *d. §. 2. num. 24.*

10. *Quer.* An liceat Exorcistæ percutere obsessum, in faciem ejus spuerè, pilos raderè, vel confimilia facere? *Resp.* Affirmativè, in contemptum Dæmonis, prudenter tamen, & sine offensa charitatis se ducendo; nam acriter percutere, & energumenum flagellare non licet. Delrius *lib. 2. D. M. q. 30. sect. 3.*

11. *Quer.* An Exorcista percutiens Clericum energumenum in adjuratione esset excommunicatus? *Resp.* Affirmativè; qui excommunicari non posset ab injuria illata ipsi Clerico, Diabolo suadente, imò provocante Exorcistam ad excandescentiam. Ita Tambur. *dict. lib. 3. cap. 8. §. 2. num. 27.* ubi dat exemplum de eo, qui prosequeretur canem latrantem, & recurrentem in sinum Clerici domini sui, ibique eum pugione confoderet, transfigendo pectus ipsi Clerico eodem

K 2

tempo-